W. Hoffmann

Ad antiquae Atticae comoediae historiam symbolae.

Ad antiquae Atticae comoediae historiam symbolae.

Dissertatio inauguralis

quam

consensu et auctoritate

amplissimi philosophorum ordinis

in

litterarum universitate

Friderica Guilelma Berolinensi

ad summos in philosophia honores rite impetrandos

scripsit

Waldemarus Hoffmann
Berolinensis.

Promotio sollemnis habebitur die XVI. mens. Febr. anni MCMX.

De dissertatione ad ordinem rettulerunt
Prof. Dr. **U. de Wilamowitz-Moellendorff.**
Prof. Dr. **E. Norden.**

Typis expressit Aem. Ebering, Berolini Mittelstr. 29.

De origine compositione indole antiquae Atticae comoediae postquam satis superque viri docti disseruerunt, nobis singula quaedam expedire in animo est[1].

I. De antiquae comoediae stilo ac metro.

Notum est inter omnes Aristophanem non solum in componendis comoediis poetarum tragicorum exemplo usum esse — velut in Thesmophoriazusarum fabula proxime ad Euripidis rationem accessit — sed etiam stilum ab eis deprompsisse; Thesmophoriazusarum enim, ut praestantissimas afferamus comoedias, Lysistratae Ecclesiazusarum sermo tragico quodam colore tinctus et ornatus est, id quod antiqui grammatici παρατραγῳδεῖν vocant. quod cum apud Aristophanem usitatissimum sit, neque in recentioribus solum fabulis extet, sed iam in prima quam novimus, in Acharnensibus, et ad historiam antiquae comoediae illustrandam et ad Aristophanis ingenium recte pernoscendum haud indignum putamus quaerere, utrum illius proprium fuerit, an in communi comicorum suppellectili numerandum sit. examinabimus igitur,

---

1. Ex maxima litterarum copia hos libros afferimus:
M. Croiset, histoire de la littérature Grecque t. III.
P. Mazon, essai sur la composition des comédies d'Aristophane (Paris 1904).
H. Weil, études sur le drame antique.
Poppelreuter, De comoediae Atticae primordiis (Berol. 1893).
A. Couat, Aristophane et l'ancienne comédie antique (Paris 1889).
Th. Zielinski, Die Gliederung der altattischen Komödie.
H. E. Sieckmann, De comoediae Atticae primordiis (Gotting. 1906).
A. de Salis, De Dor. lud. in comoedia Attica vestigiis (Berol. 1905).

quantum quidem ex his tam exiguis fragmentis effici potest, quos quisque comicus ex alius generis poetis in exprimendis sententiis imitetur[2].

Principio autem de indiciis quid sentiamus exponemus. optima condicio est, cum grammatici, qui fragmenta tradunt, ipsi poetam alius poetae rationem dicendi adhibere testantur. quod rarissime fieri valde dolendum est. ergo ex sensu metro lingua concludere cogimur; quibus in auxiliis afferendis nonnulla cavenda sunt.

Liceat igitur pauca praemonere de metro[3]. de trimetris iambicis constat Aristophanem indissolutos (vid. annot.) imprimis tum usurpavisse, cum tragicorum poetarum gravem et altum sermonem aemularetur. sed priusquam generaliter illo indicio nitamur, quaerendum est, quomodo ceteri poetae trimetros composuerint. Klauerus, qui trium comoediarum Aristophanearum versus numeravit, constituit esse versus

	indiss.	diss.	anap.
in Acharn.	272	244	265
„ Vespis	243	257	251
„ Pluto	348	310	341

Ergo numerus eorum fere idem est. contra ceteros comicos longe aliam rationem servasse videmus. legimus enim

---

2. De Aristophane cf. W. H. van de Sande Bakhuysen, De parodia in com. Att. (Trai. ad Rh. 1897). — W. Passow, De Aristophane defendendo contra invasionem Euripideam (progr. Hirschberg 1897|98).

3. Cf. Rich. Klauer, De Aristoph. trimetr. compos. artificiosiore (Marburg 1905) nominat ille trimetros
hac forma ⏓ — ⏑ — ⏓ — ⏑ — ⏓ — ⏑ — indissolutos
⏓ ⏖ ⏑ ⏖ ⏓ ⏖ ⏑ ⏖ ⏓ ⏖ ⏑ — dissolutos
ceteros anapaesticos
quibus terminis, quamvis difficiles sint, nos quoque utemur.

	indiss.	diss.	anap.
apud Cratinum	48	46	12
„ Cratetem	3	7	2
„ Pherecratem	52	75	81
„ Hermippum	8	12	10
„ Eupolin	87	111	43
„ Phrynichum	10	20	17
„ Platonem	64	64	47
„ Menandrum in Discept.	175	160	154

apparet ex hac tabula complures poetas, imprimis Cratinum et Eupolin versus accuratius composuisse quam Aristophanem Phrynichum, Platonem, vel potius illos nondum studuisse, id quod Aristophani ut efficeret contigisse Klauerus demonstravit, per diversas trimetrorum formas sermonem varium reddere et condicioni personisque adaptare. facere igitur non possumus, ut soli metro confisi unumquemque versum indissolutum paratragodiam aliquam continere arbitremur.

Jam vertamur ad alterum praesidium examinandum, sermonem. Cratini fragmenta etiam si primoribus labris attingas, tamen mirum quantum inter eius sermonem et Aristophaneum interesse cernes[4]: Cratini temporibus linguam comicam nondum tam certe constitutam esse apparet quam Aristophanis; illius sermo abundat vocibus et elocutionibus, quae longe a cotidiano usu remotae sunt, quarum praestantissimas afferimus hasce.

In Ulixibus 138:

τίνες αὖ πόντον κατέχουσ᾽ αὖραι; νέφος οὐράνιον τόδ᾽ ὁρῶμαι

forma extat *ὁρῶμαι* (video); haec, quam nos medium dynamicum vocamus, saepius a poetis in verbis sentiendi usurpatur vel

4. praesto nobis fuit: H. Dunbar, A complet concordance to the comedies and fragments of Aristophanes (Oxonii 1883); utinam plenum esset!

A 56: *κήδετο γὰρ Δαναῶν, ότι ʼρὰ θνήισκοντας ὁρᾶτο.* eandem formam mediam in frgm. 128 (Legum) legimus *(δωροδοκεῖσθαι)*, cum Aristophanes semper activa huius verbi forma utatur, excepto uno loco (Ran. 361) *καταδωροδοκεῖται.*

Dionysalexandrus 37 *ἐνταυθοῖ*; haec forma, quamquam ab Aristophane[5] non aliena est, tamen magis linguae poeticae videtur convenire (cf. Elmsleium ad Eur. Iphig. Thaur. 1010).

Plut. 160:

αὐτόματα τοῖσι θεὸς ἀνίει τἀγαθὰ

et Drapetides 57:

Λάμπωνα τὸν οὐ βροτῶν
ψῆφος δύναται φλεγυρὰ δείπνου φίλων ἀπείργειν

in his fragmentis articulus vim habet relativam, quod et apud Homerum et apud Hesiodum usitatissimum est. apud tragicos modo eae formae vi relativa inveniuntur, quae ex littera *τ* ordiuntur, apud Aristophanem hic mos plane evanuit.

Pytina 188:

ἀτὰρ ἐννοοῦμαι δῆτα τῆς μοχθηρίας
ἠλιθιότητος τῆς ἐμῆς.

de forma media vide supra. verbum *ἐννοεῖν* apud Aristophanem omnino non extat; Plato forma activa utitur, tragici plerumque media, postremo genetivus tragicae simplicitatis est, i. e. altioris sermonis.

Deliades 34 *ἐξ αὐτῆς* pro *παραυτίκα* in vetere quidem Attide *ἅπαξ εἰρημένον* est.

Ulixes 132 in dialogo formam Doricam *Λαέρτα* pro *Λαέρτου* praebet, cui rei nimiam auctoritatem tribui ipsi vetamus; nam Aristophanes quoque *Ἕλλανες* et pauca similia dicit.

In delectu vocabulorum vero multum distat Cratinus ab usu vulgari: e. g. afferimus primum nonnullas voces rarissimas, ab Aristophane nimirum alienas: *ἄβαξ, ἄκασκα, ἄνοργοι, ἀνταναγνῶναι, ἀρρενώπας, αὐτόφορτοι, διαρρικνοῦσθαι, βαδισ-*

---

5. Ach. 152, Thesmoph. 225; fortasse aliis quoque locis, quae nos fugerunt, occurrit; nam in Dunbari concordantia omnino omissum est.

ματίας, δυσθαλής, δωδεκέται, θηλάστρια, μάσμα, μονόμματος (vox poetica) *νακότιλτος, πολύμιτος, προτελίζεσθαι* (forma recentior) *σάννας, σχιζίας, φαγᾶς* (vox recentior) *χαλαίρυπος*.

ἅπαξ εἰρημένα vero sunt: *ἀνεξικώμη, ἀργυροκοπιστὴρ λόγων, ἀγροβόας ἀνήρ, αἱμυλοπλόκος, ἀλλοτριόγνωμος, βιβλιαγράφος, γαλιδεύς, δίλογχος, δυσβράκανος, ἐλλοπίς, ἔμπαις, θεόθυτα, ἰωνόκυσος, κακόδουλος, κρουπεζοφόρος, μειξόφρυς, μυσικαρφί, πρότηθυς, στρωματίτης σφίκτης, συρβηνεύς, συοβαύβαλος τοκῶσα, ὑδατοπωτῶν, χειρονομησείοντες*.

Ceterorum poetarum sermo nulla fere re differt ab Aristophane, quantum ex fragmentis quidem concludere licet; velut in eis formis, quibus tragoediam et comoediam distingui Mengius[6] statuit, comicos semper ab Aristophane stare videmus.

Sed ut redeat unde digressa est oratio, Homerico ore Cratinus loquitur in his fragmentis

315 *χαλκίδα κικλήσκουσι θεοί, ἄνδρες δὲ κύβηλιν*

neque minus Homericam prae se fert speciem 314

ταυτὶ καὶ τολμᾷς σὺ λέγειν ῥοδοδάκτυλος οὖσα

in quo tamen *ταυτὶ* unice Atticum vel infra tragoediae gravitatem est et 171 *(Πυλαίας)* quamvis corruptum sit; etenim certa videntur esse verba

. . . *ἵνα οἵ ποτε λοιγὸν ἀμύναιτο*

frgm. 317 ad Hesiodum se applicat[7].

---

6. De poetarum scaenicorum Graecorum sermone obs. sel Gotting. 1905.

7. *ἔσθιε καὶ σῇ γαστρὶ δίδου χάριν ὄφρα σε λιμὸς*
ἐχθαίρῃ, Κοννᾶς δὲ πολυστέφανος νικήσει

cf. Hesiod. Op. 299

ἐργάζευ, Πέρση, δῖον γένος ὄφρα σε λιμὸς
ἐχθαίρῃ, φιλέῃ δέ σ' ἐυστέφανος Δημήτηρ

versu altero Suidas praebet pro *νικήσει: φιλήσει* quod ex Hesiodi verbis comparatis videtur ortum; Aristophanis scholiasta tradit *νικήσει*. opponi enim apparet Connam, qui in maximis virtutibus et honoribus pauper sit, alteri, qui voluptatibus gulae indulgere iubetur. Connas ne

Non minor est numerus eorum locorum, e quibus lyricorum et iambicorum poetarum carmina perlucent:

Archilochi 10

Ἐρασμονίδη Βάθιππε τῶν ἀωρολείων

Lacones 95, ubi Clemens sic annotat:

πάλιν δ' αὖ Ὁμήρου εἰπόντος „οὐχ ὁσίη κταμένοισιν ἐπ' ἀνδράσιν εὐχετάασθαι" Ἀρχίλοχός τε καὶ Κρατῖνος γράφουσι, ὁ μὲν . . . . Κρατῖνος δὲ ἐν τοῖς Λάκωσι. φοβερὸν ἀνθρώποις τόδ' αὖ κταμένοις ἐπ' αἰζηοῖσι καυχᾶσθαι μέγα.

eodem modo in Legibus (128) Solonis vestigia sequitur

ὑμῶν εἷς μὲν ἕκαστος ἀλώπηξ δωροδοκεῖται

Solone scribente

ὑμέων δ' εἷς μὲν ἕκαστος ἀλώπεκος ἴχνεσι βαίνει

frgm. 70 autem (Eunidarum) ad Pindari exemplum composuit (videas editorum annot.).

Paratragodiam vero nullam in Cratino invenimus; tanto saepius occurrit apud poetas aetate minores, atque principem quidem locum Eupolis obtinet.

Caprarum versus 6

ὦ Χάριτες αἷς μέλουσιν ἑψητοί

stilo admodum tragico scriptus est; nam et Gratiae a comoedia segregatae sunt (in Aristophanis certe comoediis numquam fere commemorantur[8]) et personale illud *μέλειν* supra comoediam exurgit. cf. Aesch. Prom. 3

σοὶ δὲ χρὴ μέλειν ἐπιστολὰς
ἅς σοι πατὴρ ἐφεῖτο.

et Eur. Hipp. 104:

ἄλλοισιν ἄλλος θεῶν τε κἀνθρώπων μέλει.

---

famem quidem explere potest, quamvis multis coronis ornatus sit. ergo pro *νικήσει* scribendum putamus *πεινήσει*. verba sunt mollis alicuius, qui alterum horribili Connae exemplo praeposito ad suam vivendi rationem trahere conatur.

8. In onomastico Aristophaneo Gratiarum mentio deest. ips nomen earum legimus solum in Pace (456) et Thesmophoriazusis alteris (frgm. 334 K).

Ἀστράτευτοι 32:

ἐν εὐσκίοις δρόμοισιν Ἀκαδήμου θεοῦ.

δρόμος vox apud Aristophanem semper cursus vim habet, *εὔσκιος* omnino deest, sed neque apud Aeschylum neque apud Euripidem *δρόμος* significatione curriculi praedita est. solus Sophocles, cuius stilum maxime a populari dicendi ratione segregatum esse constat, (El. 713) exhibet

πᾶς ἐμεστώθη δρόμος κτύπου

et ibid. 448: *πῶλοι διεσπάρησαν εἰς μέσον δρόμον*

verbum *εὔσκιος* nec apud Homerum nec apud tragicos legis uno rursus Sophocle scribente (O. C. 1707):

κοίταν δ' ἔχει
νέρθεν εὐσκίαστον αἰέν.

vox *εὔσκιος* ipsa semel apud Pindarum extat; tum in anthologia Palatina interdum occurrit.

Βάπται 71:

ἐπιχώριος δ' ἐστ' ἢ ξένης ἀπὸ χθονός;

Aristophanes vocem *χθόνα* nonnisi in canticis exhibet (Nubes 281, 299, Thesmoph. 1749 etc.). contra in tragoediis saepissime eam inveniri demonstrare supervacuum est. quin illum in modum coniuncta haec verba legimus, vel Soph. O. C. 1256: *ξένης ἐπὶ χθονός*, Eur. Med. *ἐπὶ ξένωι χθονί*, Hipp. *ξένην ἐπ' αἶαν*.

Δῆμοι 92:

τὸ γὰρ δίκαιον πανταχοῦ φυλακτέον

sententia et stilo et ingenio Euripidis aptissima est, qui quam saepe iustitiam et aequalitatem laudibus efferat satis notum est[9]. de forma cf.

Hec. 271: *τῶι δικαίωι τόνδ' ἁμιλλῶμαι λόγον*

Herc 331: *σὺν τῶι δικαίωι κτλ.*

quod autem Aristophanes dicit (Ach. 662)

τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ καὶ τὸ δίκαιον ξύμμαχον ἔσται.

haec verba Telephi Euripidei parodiam esse traditum est (cf. Bakhuysen pg. 23).

9. cf. Masqueray, Euripide et ses idées pg. 183 sqq.

In Urbium versu 212:

Ἱερόκλεες βέλτιστε χρησμῳδῶν ἄναξ

poetam imitari Aeschyli verba (Sept. 39).

Ἐτεόκλεες φέριστε Καδμείων ἄναξ

Dindorfius iam monuit.

Fragmentum incertum 314:

οἷόν γε πού 'στι γλῶσσα κἀνθρώπου λόγος

tam clare habitum tragicum amictum est, ut, si non sub comici nomine traditum esset, facile tragicorum fragmentis insereres.

Finem huius enumerationis facimus frgm. 339:

ἐκ τῶν ἀγρῶν ἥκουσιν ἐβλαστηκότες.

hunc quoque versum poeta sublimius videtur composuisse. verbum enim βλαστάνειν quod scriptores rerum naturalium, ut Theophrastus, in plantis describendis cum praepositione ἐκ coniungunt, de homine solum poetae tragici usurpant[10]; contra Aristophanes locos sollemnes hac voce distinguere solet, velut Av. 696, ubi epice loquitur, ibid 1479, Lys. 406 in oratione magistratus

τοιαῦτ' ἀπ' αὐτῶν βλαστάνει βουλεύματα

quae verba ipsa ad Aeschyli exemplum videntur scripta esse (Sept. 594):

ἐξ ἧς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλεύματα[11]

Ceterorum poetarum fructum minorem esse consenta-

---

10. Soph. Phil. 1311, Eurip. Ion 267.

11. Dubitantes haeremus in hoc loco

Δῆμοι 104:

ἅπασα γὰρ ποθοῦμεν ἡ κλεινὴ πόλις

singula verba quamquam a comoedia nequaquam aliena sunt, tamen tota sententia tragica quadam altitudine excellere videtur. Aristophanes certe, si cantica praetermittimus, verbo κλεινός sollemnibus praecipue locis utitur, ut Ach. 1184:

ὦ κλεινὸν ὄμμα νῦν πανύστατόν σ' ἰδὼν
λείπω φάος γε τοὐμόν, οὐκέτ' εἴμ' ἐγώ.

neum est. tamen ex eis quoque quae eruisse nobis videmur proferemus.

Pherecrates 82 (Crapatalorum):

μάχαιραν ἆρ' ἐνέθηκας; — οὔ — τί μ' εἴργασαι.
ἀμάχαιρος ἐπὶ βόεια νοστήσω κρέα
ἀνὴρ γέρων, ἀνόδοντος;

verbum ἀμάχαιρος more tragicorum compositum est ut notissima illa ἄλεκτος ἀνυμέναιος etc.

108[22] (Metallensium):

τί δῆτα λέξεις τἀπίλοιπ' ἥνπερ πύθῃ;

forma λέξεις altioris sermonis est; deinde huius versus sententia est oratoria. quos Aristophanem saepe iocandi causa re metrica diligenter curata oratiunculis inserere Klauerus nos docuit: quocum consentit hunc versum summa arte expolitum esse: nullus in eo pes soiutus, nullus anapaestus.

Eadem statuimus in frgm. 145[1], [2] (Chironis):

λέξω μὲν οὐκ ἄκουσα· σοί τε γὰρ κλύειν
ἐμοί τε λέξαι μῦθον ἡδονὴν ἔχει[12].

De frgm. 152 (inc.)

τί δ' ἔπαθες;
— ἄγρυκτα κἄλεκτα κτλ.

confer quae ad frgm. 82 exposuimus.

Teleclides tragicarum precationum exordia ante oculos videtur habuisse, cum dicit (33, Στερρῶν):

ὦ δέσποθ' Ἑρμῆ, κάπτε τῶν θυλημάτων,

modo quod verbum κάπτειν, quod avium proprium est, iculariter gravem orationem interrumpit.

Phrynichum, frgm. 46 (Satyrorum):

βοάσομαι τάχα τὰν ὑπέρτονον
βοάν

ab Euripide deprompsisse scholiasta Aristophanis tradit; quod non tam paratragodiam quam parodiam esse existimamus,

12. num poeta tragicarum orationum exordia imitatur? cf. Med. 475 ἐκ τῶν δὲ πρώτων πρῶτον ἄρξομαι λέγειν.

qua poeta comicus certae fabulae certum locum in risum detorquet.

Platonis fragmentum 122 (Legatorum):

ἄναξ ὑπήνης Ἐπίκρατες σακεσφόρε

paratragodiam continere Kockius non sine probabilitate admonuit. eiusdem poetae addimus frgm. 52.

γλώττης ἀγαθῆς οὐκ ἔστ' ἄμεινον οὐδὲ ἕν

et 53: ἡ γλῶττα δύναμιν τοὺς λόγους ἐκτήσατο
ἐκ τῶν λόγων δ' ἅττ' αὐτὸς ἐπιθυμεῖς ἔχεις

sententia Euripideae haud ita videtur dissimilis; in eandem classem referendum nobis videtur frgm. 136 (Sophistarum):

καὶ γὰρ Προμηθεύς ἐστιν ἀνθρώποις ὁ νοῦς.

Homeri vero ceterorumque antiquorum poetarum dicendi ratione hi poetae plane fere abstinent. invenimus in Hermippi fragmentis solum 63 (ex Phormophoris):

Ἔσπετε νῦν μοι Μοῦσαι Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι

Eupolidis 289 (e Genere aureo)

αὐτόματοι δ' ἀγαθοὶ δειλῶν ἐπὶ δαῖτας ἴασιν

ab Hesiodo et hic versus depromptus est et Pherecratis frgm. 152, 153 (Chironis). Plato denique frgm. 173 (Phaonis) heduphagetica aliqua imitatur[13].

Videmus igitur Cratinum vel generaliter omnes, quicumque illis temporibus poema procudere voluissent, tria solum dicendi exempla respexisse: poetas dactylicos, lyricos, iambicos: tragoediam tum nihil fere valuisse: Aristophanis vero temporibus et ipsius et aemulatorum, ut demonstravisse nobis videmur, comoediae paratragodiarum refertissimae sunt, h. e. poetae artem dicendi imprimis a poetis tragicis didicerunt.

Quibus peractis ad antiquissimae comoediae metra transgrediamur; ita autem agere nobis in animo est, ut quaeramus, utrum certa metra diverbio propria fuerint necne. nam quo-

13. magnum hoc argumentum est talia iam antiquis illis temporibus exstitisse.

modo Aristophanes rem metricam exercere solitus sit, Mazonius, quem recentiores secuti sunt, his verbis exposuit (ll. pg. 137): „On ne trouve pas de tétramètres en dehors des parodoi des scènes de bataille des *ἀγῶνες* et des parabases“, atque ,,toute scène comique qui n'est ni une parodos ni une scène de bataille ni un agon ni une parabase est écrite en trimètres iambiques“. quod quamquam generaliter rectum putamus esse, tamen inter ceterorum poetarum fragmenta nonnulla occurrunt, quae, etiamsi non trimetris iambicis sed eis metris scripta sunt, quae canticis reservata esse solent, tamen in diverbio locum habuisse existimamus.

Oriamur si placet ab Eupolideis, Cratineis, Priapeis, quae artissime inter se cognata esse constat[14]. adhibent igitur

vv.	Eupolideos	Priapeos	Cratineos
Cratinus	5	2	3
Pherecrates	7	2	
Eupolis	2	2	1
Plato	1		
Aristoph. (frgm.)	1	2	

ceterorum poetarum (Cratetis, Teleclidae et qui post fuerunt) nulli tales versus servati sunt; neque in nova quidem comoedia extant: omnino exolevisse videntur.

Atque omissis eis fragmentis, quae ex parabasi vel omnino e chori cantico sumpta esse pro certo constat, ea primum enumerabimus, de quibus ambigi potest;

Cratini 221 (Trophonii)

οὐδ' Αἰξωνίδ' ἐρυθρόχρων ἐσθίειν ἔτι τρίγλην
οὐδὲ Τρυγόνος οὐδὲ δεινοῦ φυὴν μελανούρου

verba ei aptissima sunt, qui cena modo habita satur novas delicias aspernatur. atque Aristophanem fragmento 30 (Amphiarai)

οἶδα μὲν ἀρχαῖόν τι δρῶν κοὐχὶ λέληθ' ἐμαυτόν

14. cf. Wilamowitz, Choriambische Dimeter pg. 18; egit de versu Eupolideo F. Fritzsche (ind. lect. Rostoch. 1855/56), qui modo de variis eius formis disputat.

per chorum ipsum de se loqui nobis quidem non tam certe persuasum est quam Kockio. fragmentum autem 55 (Anagyri)

ἀλλὰ πάντας χρὴ παραλοῦσθαι καὶ τοὺς σπόγγους ἐᾶν

haud ita multum abesse a parabaseon tenore concedendum est.

At non desunt fragmenta, quae chori canticis nullo modo attribui possint.

Cratini 320 (inc.) quomodo in parabasim quadret, non intellegimus

τρίγλην εἰ μὲν ἐδηδοκοίη τένθου τινὸς ἀνδρός

clarissime autem hic usus elucet ex Pherecratis verbis (131 Persarum) quibus aliquis non modo appellatur, hoc enim in epirrhematibus usitatissimum est, sed etiam ministrare et cantare iubetur

ὦ μαλάχας μὲν ἐξερῶν. —

sequuntur similia

ἔγχει κἀπιβόα τρίτον παιῶν᾽ ὡς νόμος ἐστίν.

neque Aristophanes recusat, quominus aliquem his versibus ex aliquo quid quaerentem faciat (141 *Γῆρως*)

ὦ πρεσβῦτα πότερα φιλεῖς τὰς δρυπετεῖς ἑταίρας
ἢ σὺ τὰς ὑποπαρθένους, ἁλμάδας ὡς ἐλάας
στιφράς;

Numerus exemplorum quamquam admodum parvus est, tantum tamen ex eis clarissime comparet metra illa artificiosa non intra canticorum terminos conclusa fuisse, sed in unaquaque scaena vel in diverbio potuisse in usum vocari.

Quin Cratinus etiam versus Archilochios ita adhibuit; afferemus eos versus, qui quin ab histrione pronuntiati sint non dubitandum est. nam ut rursus ab incertis ordiamur, frgm. 9 (Archilochorum)

Ὠμολίνοις κόμη βρύουσ᾽ ἀτιμίας πλέως ν —

quod fragmentum Kockio ex parabasi videtur sumptum esse, nullum huius rei praebet signum. et frgm. 10 (item Archilochorum)

Ἐρασμονίδη Βάθιππε τῶν ἀωρολείων

potest esse parabaseos, potest histrionis: at frgm. 30 (Deliadum) ad histrionis partes attinere putandum est

τούτοισι δ᾽ ὄπισθεν ἴτω δίφρον φέρων Λυκοῦργος
ἔχων καλάσιριν

frgm. 211 (Seriphiorum) vero is pronuntiat, qui modo in Seriphiorum insulam advenit, Perseus fortasse; alloquitur autem incolarum chorum

χαίρετε πάντες ὅσοι πολύβωτον πόντιαν Σέριφον.

Iam vertamur ad versus heroicos; quibus Aristophanes praeter canticos chori plerumque tum utitur, cum aut poetarum dactylicorum verba aut oracula per parodiam imitatur. sed totas quoque scaenas dialogicas eum metro heroico composuisse ex novo fragmento Florentino docemur[15]. quod idem poetas antiquissimos fecisse suspicamur, quorum fragmenta, imprimis Cratini, multos versus heroicos contineant. multi saltem eorum ad chori cantica pertinent, multorum vis parodica est, nonnulli autem ex sermone aliquo se sumptos esse ipsi demonstrant.

Cratini 6, 7, 8 (Archilochorum)

(6) *εἶδες τὴν Θασίαν ἅλμην οἷ᾽ ἄττα βαΰζει*
ὡς εὖ καὶ ταχέως ἀπετίσατο καὶ παραχρῆμα
οὐ μέντοι παρὰ κωφὸν ὁ τυφλὸς ἔοικε λαλῆσαι

hoc fragmentum ad scaenam aliquam concitatam pertinere cum ipsum patefacit, tum ex eo apparet, quod Athenaeus Cynulcum alacriter his verbis respondentem finxit. quid quod in Ulixium fabula Ulixem et Cyclopa per totam scaenam hoc metro loquentes fecit.

(142) *ἦσθε πανημέριοι χορταζόμενοι γάλα λευκόν,*
πυὸν δαινύμενοι, κἀμπιμπλάμενοι πυριάτῃ

verba sunt aut Cyclopis ad Ulixem (quae Meinekii est sententia) aut Ulixis ad socios, quos adhortatur, ut omnia, quae

15. Papiri Greco-Egizii vol. II, papiri Fiorentini ed. Domenico Comparetti fasc. 1 nr. 112.

ad illius oculos effodiendos usui sint, parent, obiurgat, quod pigri languidi diem ducant. frgm. 143 Cyclops promittit, quam delicate gratias ergo Ulixem cum sociis tosturus sit. sed ne quis poetam ea de causa ad sollemne metrum refugisse nobis obiciat, quod Homeri fabulam in scaenam traduxit: eam partem, qua Ulixes hospiti vinum infundit, tetrametris anapaesticis scriptam esse monemus. Seriphiorum quoque fragmenta 207, 208, 209 sententiam nostram probant vel 207

ἐς Συρίαν δ' ἐνθένδ' ἀφικνεῖ μετέωρος ὑπ' αὔρας.
— ἱμάτιον μοχθηρόν, ὅταν βορρᾶς καταπνεύσῃ.

in frugum aliqua contione dicta sunt haec verba (313 inc.)

ταῖς ῥαφανῖσι δοκεῖ, τοῖς δ' ἄλλοις οὐ λαχάνοισιν.

Dubitari non potest de Hermippi frgm. 82 (e Phormophoris), quo vina enumerantur plurima. ex parabasi enim versus depromptos esse ab Athenaeo vetamur credere, qui haec addit *Ἕρμιππος δὲ ποιεῖ τὸν Διόνυσον πλειόνων* (scil. *οἴνων*) *μεμνημένον*. ad talem hexametri usum videntur referenda esse Aristophanis verba (Nub 541) *πρεσβύτης ὁ λέγων τἄπη*, i. e. hexametros, quae verba aut ad Eupolin spectare aut ad Hermippum scholiasta annotat.

Eodem modo videtur interpretandum esse Teleclidae frgm. 45 (inc.)[16]

τῶν δυνατῶν τι κέλευ'. οὐ γὰρ πάρα Κενταύροισιν

et Calliae frgm. 6 (e Cyclopibus)

καὶ δέξαι τηνδὶ μετανιπτρίδα τῆς ὑγιείας.

denique Aristophanis frgm. 257 (e Danaidibus) huc pertinet

καὶ τὸν κιλλάστιν φθέγγου καὶ τὸν πετόσιριν.

Demonstrasse nobis videmur poetas antiquos in omnibus fere partibus versibus artificiosioribus potuisse uti. haec est illa quae in prolegomenis laudatur antiquae comoediae *πολυμετρία*[17]. maxime poetae operam dant, ut comoediam variis

---

16. *πάρα* vim habet formae *πάρει*, ut Cratinus (106 *Μαλθακοῖς*) et Aristophanes *πάρα* pro *πάρειμι* ponunt.

17. adde, quod cantica quoque metris elegantibus composuerunt.

metris ornent, quin ipsi nonnulla metra invenerunt (Cratineum, Eupolideum etc.). contra in media et nova quae vocantur comoediis nil tale relictum est: tetrametros et iambicos et trochaicos saepius invenis, rarius anapaesticos, rarissime lyricos[18]. versus heroici nonnisi in parodiis adhibentur, velut Diphilus frgm. 126 (cf. Clemens: *ὁ κωμικὸς Δίφιλος κωμῳδῶν τοὺς γόητας διὰ τῶνδε*, sequuntur hexametri). Aristophanes autem et ei qui post eum fuerunt cum trimetrum iambicum ceteris omnibus anteponunt, tragoediae exemplum videntur imitari.

Clarissime igitur, ut omnia comprehendamus, ex duobus illis quae modo exposuimus elucet poetas tragicos tanta vi commovisse omnium poetarum animos, ut paulatim non dumtaxat, id quod iam pridem constabat, sententias eorum respicerent et reciperent, sed etiam formas, quibus eas pronuntiabant: stilum et metrum.

---

velut Cratinus *ἀπὸ διθυράμβου ἐν Βουκόλοις ἦρξατο* (Hesych., frgm. 18).

18. Anaxilas in Circa (K II 266)
Axionicus in Phileuripide (II 413)
Diphilus in *Ἀνασωιζομένοις* (II 544)
Menandrus in Phasmate (K III pg. 144) ithyphallicos adhibuit.
inc. 3 M. (III 580/81).

II. De comoediis utopicis.

Veniam petimus, quod vernaculo more Utopiae nomine a. Th. Moro ficto ita utimur, ut genus quoddam fictionum breviter significemus, etiam a Graecis haud raro cultum. utopias autem vocamus non eas tantum litteras, quibus res publica perfecta describitur[1], sed eas quoque fabulas historiasque, quibus vita aut omnibus ventris voluptatibus abundans aut concordia et pietate ornata aut summa iustitia recta[2] praeponitur. omnia enim haec genera artissime inter se cognata esse facile intellegitur.

Omnibus fere temporibus tales floruere narrationes. apud Homerum invenis, apud Hesiodum, denique in antiqua Attica comoedia. animum ergo induximus vestigia earum e fragmentis colligere, atque dis propitiis accidit, ut tres comoediae utopicae nobis integrae servatae sint: Aves, Ecclesiazusae, Plutus.

---

1. Praesto nobis fuerunt

R. de Mohl, D. Geschichte und Literatur d. Staatswissensch. I, 161 sqq.

R. Pöhlmann, Geschichte des antiken Sozialismus und Kommunismus.

L. Stein, Die soziale Frage im Lichte der Philosophie.

G. Louis, Thomas Morus und seine Utopia (Progr. d. X. Realschule zu Berlin 1895).

L. Stein, Zur Sozialphilosophie der Staatsromane (Archiv für Gesch. d. Philosophie IX, 458).

2. De utopiis mysticis quo homines post mortem demum perveniunt, cf. A. Dieterich, Nekyia.

E. Norden, commentarius ad Vergili Aeneid. VI.

Jos. Bautz, Der Himmel, die Hölle, das Fegefeuer im Anschluß an die Scholastik dargestellt (Monasterii 1884—1886).

Avium fabula maxima affinitate coniuncta est cum fabulis utopicis;[3] senes duo postquam in prologo spectantes de eis, quae Athenis sibi taedio essent, certiores fecerunt, terram sibi optant mendis illis absolutam (v. 44, 123), eaque postulant, quae in illis historiunculis gravissima ducuntur: laute edendi bibendique facultatem (130—142), neque pecuniam solvere opus est (οὗ πρῶτα μὲν δεῖ ζῆν ἄνευ βαλλαντίου altero libenter adsentiente πολλὴν ἀφεῖλες τοῦ βίου κιβδηλίαν).

Verum qui factum est, ut poeta ad demonstrandum statum felicem avium exemplo uteretur? qua in re non sapientium auctoritatem eum sequi putamus, neque Aesopicas fabulas per comoediam tractavit — licet enim illae rerum vel potius hominum generales imagines iocosas praebeant, tamen deest illud perfectum — immo hoc potissimum poeta desiderat, tam liberum se et facilem esse quam aves. cuius rei si omnino fontes extra poetae animum reperiri possunt, de eis imprimis litteris cogitamus, quas Wilamowitzius nescio quo loco „die ungeschriebene Literatur“ vocavit; meminimus enim in nonnullis fabellis et Germanis et aliis legere aves si non felicissima at certe sapientissima animalia esse.

Tum id, quod ceteris scriptoribus maximas difficultates praebet, homines mutare novaeque vitae consuetudinem eis afferre, Aristophanes elegantissime expedit. radice quadam mirabili esa homines avium naturam amiciunt. postremo eo quoque litterarum genere poeta utitur, quo variae terrae fictae narrantur (Reiseroman). nam ad eas fabulas alludit vers. 1470 sqq., 1522 sqq., quibus versibus aves quales res viderint referunt:

πολλὰ δὴ καὶ καινὰ καὶ θαυ —
μάστ' ἐπεπτόμεσθα καὶ
δεινὰ πράγματ' εἴδομεν κ. τ. λ.

---

3. Cf. Th. Zielinski „Die Märchenkomödie in Athen“ Petropoli 1885; aberrat ille a vero, cum praeter fabellas suas nullam qualemcumque sententiam comoediis concedit.

et ipsa genera mira velut Sciapodas nominant[4]. cetera autem elementa ut Hesiodi sapientiumque et magistratuum derisiones hoc loco praetermittere liceat.

Fabellarum facetias reliquit in Ecclesiazusis; quae comoedia tantummodo in rebus humanis versatur: nulla in ea miracula, nullae ferae humanae linguae peritae etc. demonstrandam sibi sumpsit poeta plebis aeternam helluandi et amoris fruendi cupidinem; quarum rerum ut omnes participes fiant, id Praxagora sic optime effectura sibi videtur, ut omnia bona communia faciat. postremo poeta lepidissimis scaenis explanat, quo modo mulierum victoria ipsarum culpa irrita cadat.

Divitiarum quoque fabula *(Πλοῦτος)* argumentum duxit ab aurea aetate recuperanda; quam quidem ipsam paucissimis verbis perstringit antiquissima illa imagine proposita (803 sqq.)

ὡς ἡδὺ πράττειν ἄνδρες ἐστ᾽ εὐδαιμόνως

. . . . . .

803: *ἡ μὲν σιπύη μεστή 'στι λευκῶν ἀλφίτων*
οἱ δ᾽ ἀμφορῆς οἴνου μέλανος ἀνθοσμίου
ἅπαντα δ᾽ ἡμῖν ἀργυρίου καὶ χρυσίου
τὰ σκευάρια πλήρη 'στιν, ὥστε θαυμάσαι
τὸ φρέαρ δ᾽ ἐλαίου μεστὸν κτλ.

Mysticarum denique exemplar utopiarum inter Aristophanis comoedias occurrit; nam ut Dieterichius ll. demonstravit, in primis Ranarum scaenis *κατάβασιν* quandam *εἰς Ἀιδου* irridet obiterque ea quae in Orco collocata sunt monstra et paludes sordidas commemorat (273: *τί ἐστιν τἀνταυθοῖ; — σκότος καὶ βόρβορος κ. τ. λ.*).

Quibus quam brevissime peractis ad fragmenta comoediarum deperditarum vertamur.

---

4. cf. Duemmleri orationem: Prolegomena zu Platons Staat, Basileae; pg. 46
Luciani ver. hist. I 29
Rohde, griechischer Roman pg. 192.

Atque primum quidem Cratinum in Legibus vitae abdominis voluptatibus ornatae mentionem fecisse testis est frgm. 121:

ὁ δὲ Ζεὺς ὀστάφισιν ὕσει τάχα.

Tum in Plutorum fabula ipsum divitiarum deum partes egisse ex titulo verisimile est[5]. fragmenta autem eodem spectant. nam in frgm. 160, quod ad prologum videtur pertinere, aliquis de beato quodam genere sic loquitur

αὐτόματα τοῖσι θεὸς ἀνίει τἀγαθά.

ἀνίει de tempore quod fuit: ergo in principio fabulae hodiernae consuetudinis mala describuntur, ad quam partem spectare putamus, frgm. 162:

περὶ σιάγονος βοείας μαχόμενος

quo fragmento quanta inopia praesenti temporis momento sit illustratur. tum verum Pluto deo interveniente pristina recuperatur felicitas. nam in certamine incertae alicuius terrae virtutes praedicantur. (164):

ἆρ' ἀληθῶς τοῖς ξένοισιν ἔστιν ὡς λέγουσ' ἐκεῖ
πᾶσι τοῖς ἐλθοῦσιν ἐν τῇ κοπίδι θοινᾶσθαι καλῶς
ἐν δὲ ταῖς λέσχαισι φύσκαι προσπεπατταλευμέναι
κατακρέμανται. τοῖσι πρεσβύταισι ἀποδάκνειν ὀδάξ:

altera certaminis parte, quae anapaestis conscripta erat, Saturni aetate qua homines abundantia rerum fructi sint comperimus (165):

οἷς δὴ βασιλεὺς Κρόνος ἦν τὸ παλαιόν,
ὅτε τοῖς ἄρτοις ἠστραγάλιζον, μᾶζαι δ' ἐν ταῖσι παλαίστραις
Αἰγιναῖαι κατεβέβληντο δρυπεπεῖς βώλοις τε κομῶσαι.

at quam partem fortasse etiam referendum est frgm. 166:

μὴ ξυντυχίαισι βαρυνόμενοι.

postremo 167 verbum *ἀνανεοῦσθαι* traditur; haud scio an opinari liceat, ut in Aristophanis comoedia avium imperio constituto omnia redintegrata sint, sic in hac fabula, id quod

---

5. cf. Ὀδυσσῆς = Odysseuskomödie cf. Wilamowitzius Herakl. I^1 55, 14, Hermes 34, 259, A. de Salis II. (pg. 52).

supra adumbravimus Pluto, regnante alteram Saturni aetatem restitutam esse.

Addere hoc loco liceat Seriphiorum fragmenta 207. 208 (cf. inc. 309), quamquam poeta non tam historias utopicas quam itinerarias illudit.

208: *εἶτα Σάκας ἀφικνεῖ καὶ Σιδονίους καὶ Ἐρεμβοὺς*
ἔς τε πόλιν δούλων, ἀνδρῶν νεοπλουτοπονήρων.

Ex fragmentis incertis afferimus

325: *αὐτομάτη δὲ φέρει τιθύμαλλον καὶ σφάκον πρὸς αὐτοῖσι*
ἀσπάραγον κύτισόν τε· νάπαισι δ' ἀνθέρικος ἐνηβᾷ
καὶ φλόμον ἄφθονον ὥστε παρεῖναι πᾶσι τοῖς ἀγροῖσι.

sensus est terram ipsam, sua sponte (*αὐτομάτην*) eas quae pecudi domesticae victui sint herbas progignere, hominibusque labores agri colendi subeundos non esse.

Huic seriei non adscribendam putamus Chironum fabulam, nam quamquam duo fragmenta huc videntur spectare —

238: *μακάριος ἦν ὁ πρὸ τοῦ βιοτὸς*[6]
βροτοῖσι πρὸς τὰ νῦν, ὃν εἶχον ἄνδρες
ἀγανόφρονες ἡδυλόγῳ σοφίᾳ βροτῶν περισσοκαλλεῖς[7]

239: *ἁπαλὸν δὲ σισύμβριον ἢ ῥόδον ἢ κρίνον παρ' οὖς ἐθάκει*
μετὰ χερσὶ δὲ μῆλον ἕκαστος ἔχων σκίπωνά τ' ἠγόραζον

— tamen poeta non omnino de beata aliqua aetate loquitur, sed Athenaeus ipse annotat luxuriem eum, qualis Themistoclis aetate viguisset, depinxisse: *Κρατῖνός τ' ἐν Χίρωσι τὴν τρυφὴν ἐμφανίζων τὴν τῶν παλαιτέρων*, postquam prioribus verbis Themistoclem nominavit. *καὶ τὸν ἐπὶ Θεμιστοκλέους δὲ βίον Τηλεκλείδης ἐν Πρυτάνεσι ἁβρὸν ὄντα παραδίδωσι.*

---

6. codex *βροτός* corr Wilamowitzius; floruisse tum tales gentium fictarum fabulas et Aeschylus docet et Hecataeus et alii.
cf. H. Weil (ann. ad. Prom. v. 719)
Strabo I pg. 43
Aristeas, Hesiodi frgm 62 Rz, Herodotus IV. 1[illegible]1, Platonis comici frgm. 37.

7. vers. tertius sic etiam a Photio traditur (R. 12[illegible]) nil mutandum est: genetivus *βροτῶν* est comparativus, qualis apud simplex verbum *περισσός*) in usu est.

In Pherecratis Persis multum de vita felici actum esse constat. primum nescio quis in prologo de divitiis Persarum exponit, quibus gazis ornati sint

128: *στεφάνους τε πᾶσι κὠμφαλωτὰς χρυσίδας*

tum in certamine accuratius vita illa describitur (130); primis quinque versibus postquam poeta varias delicias enumeravit, sic pergit

ὁ Ζεὺς δ᾽ ὕων οἴνῳ καπνίᾳ κατὰ τοῦ κεράμου βαλανεύσει.

qua condicione autem fieri possit, ut Juppiter vino pluat, in suspenso relinquimus. hoc videmus vitam beatam expressam esse per Persas, in quorum terra maximae divitiae absconditae esse credebantur.

In Horis quoque Aristophanis plurima bona enarrata invenis (569). at tamen comoediam utopicis inserendam non existimamus; veras enim Atticae terrae virtutes, quamvis more comico exaggeratas, laudat, quaeque in Atheniensium foro veneant, enumerat.

At in fragmento incerto (Photius Berolinensis pg. 86, 6) poeta re vera ad vitam optimam alludit: *Ἀριστοφάνης· ἡ μὲν πόλις ἐστὶν Ἀμαλθείας κέρας· οὐ μόνον εὖξαι καὶ πάντα παρέσται.*

Deinde aureae aetatis felicitatem praedicavit Nicophon in Sirenibus

(13) *νιφέτω μὲν ἀλφίτοις*
ψακαζέτω δ᾽ ἄρτοισιν, ὑέτω δ᾽ ἔτνει.
ζωμὸς διὰ τῶν ὁδῶν κυλινδείτω κρέα
πλακοῦς ἑαυτὸν ἐσθίειν κελευέτω
ἀλλᾶς μαχέσθω περὶ ἕδρας παροψίδι.

noti sunt colores; at haesitamus in forma imperativa; fortasse, id quod incertissimum esse ipsi confitemur, Sirenes haec Ulixi promittentes finguntur; aut Ulixis verba sunt miseram patriam se omnibus divitiis tamen praelaturum esse gloriantis. ultimam huiusmodi fabulam tractabimus Metagenis Thurio-persas; satis longum fragmentum Athenaeus servavit (6).

ὁ μὲν ποταμὸς ὁ Κρᾶθις ἡμῖν καταφέρει
μάζας μεγίστας αὐτομάτους μεμαγμένας,
ὁ δ' ἕτερος ὠθεῖ κῦμα ναστῶν καὶ κρεῶν
ἑφθῶν τε βατίδων εἱλυομένων αὐτόσε. κ. τ. λ.

nil novi afferunt hi versus; poetam Pherecratis Persas retractavisse ex titulo verisimile est, sed tum Thuriis felicitatem illam esse de suo finxit.

Utopias morales velut Aethiopum pia gens in comoedia Attica non extare consentaneum est; semel poeta comicus hoc genus perstrinxit, iocose quidem.

Teleclides enim praeter communes delicias pacis quoque tantum fuisse narrat, quantum aquae (*Ἀμφικτύονες*)[8]

λέξω τοίνυν βίον ἐξ ἀρχῆς, ὃν ἐγὼ θνητοῖσι παρεῖχον
εἰρήνη μὲν πρῶτον ἁπάντων ἦν ὥσπερ ὕδωρ κατὰ χειρός.

verba sunt aut ipsius Amphictyonis, Deucalionis et Pyrrhae filii, aut Bacchi, qui sub eo rege Athenas venisse dicitur. postremo titulo illo Amphictyones tutores sacri Delphici significari possunt; tum veri simillimum nobis videtur Deucalionem haec eloqui, quem in Parnasso superfuisse diluvio constat. poetam autem in pace commemoranda ad suae aetatis condicionem respicere ex generali utopiarum origine et natura colligi debet, quocum optime consentit, quod viri docti comoediam paulo ante bellum Peloponnesiacum actam esse ex aliis fragmentis concluserunt[8].

De earum quas adhuc tractavimus comoedias sententia et indole cum nil fere certi eruere potuerimus, ex alio genere nativa illa comoediae vis, illudendi et vellicandi, tanto clarius elucet. Aristophanis *καταβάσεως εἰς Ἅιδου* parodiam supra attigimus. tales descensus tum maxime placuisse suspicamur, cum complures poetae eos fabulis inseruerint.

In Pherecratis Crapatalis (80) aliquis quo modo ad Orcum descendi possit docetur:

ὦ δαιμόνιε πύρεττε μηδὲν φροντίσας
καὶ τῶν φιβάλεων τρῶγε σύκων τοῦ θέρους

---

8. cf. Wilamowitz, obs. crit. pg. 27 adn. 6.

κἀμπιμπλάμενος κάθευδε τῆς μεσημβρίας
κἆιτα σφακέλιζε καὶ πέπορδο καὶ βόα.

tum (81) Orci vilitas laudatur

λήψει δ' ἐν Ἅιδου κραπάταλον [τριωβόλου] καὶ ψωθία.

quocum conferenda sunt Pollucis verba, quibus crapatali in Orco nummi species esse explicatur. ergo descensus videtur praeparari. reliqua autem comoedia ipso in Orco acta est; quod ex eo apparet, quod Aeschylus loquens introducitur (frgm. 94).

Plane autem is, quicumque Metallicos scripsit, qualis sit natura Orci, patefacit[9]. in frgm. 180, quod afferre longum est, mulier quaedam ex infernis reversa enarrat, quantam viderit bonarum rerum affluentiam. cui parti autem fragmentum trimetris scriptum attribuamus? aut ad prologum aut ad nuntii alicuius orationem referendum est; antiquis quidem temporibus poetas fabularum initia parum artificiose composuisse scimus[10]: aut enim ea persona, quae primas partes in principio egit, per soliloquium ea, quae ad intellegendam comoediam opus sunt, declarat, aut duae personae (plerumque servi) per diverbium quid rei sit exponunt, ita tamen ut alter quaerat ex altero isque respondeat, aut illo relicto ad spectatores ipsos loquatur. quale est in hoc fragmento; ex nuntii igitur oratione excerptum opinamur; nam quod alter interlocutor mulierem sic interrumpit:

οἴμ' ὡς ἀπολεῖς μ' ἐνταῦθα διατρίβουσ' ἔτι
παρὸν κολυμβᾶν ὡς ἔχετ' εἰς τὸν Τάρταρον

haud secus Chremyli uxor in Pluto servum interfatur; mulier igitur, nisi mentitur, in priore parte in Orcum descenderat.

---

9. nam fabulam Pherecratis non esse recte Meinekius cum ex veterum testimoniis tum ex sermone conclusit, quamquam non omnia quae protulit probamus; velut quod *εἰργασμένα* passiva potestate dici negat (Valckenario quidem et Lobeckio adsentientibus, ad Phoen. 1069, ad Aiacem 21): non pauca illius usus apud scriptores Atticos exempla occurrunt: Plato Charm. pg. 1336, Xenoph. mem. 3, 10, 9, conviv. 5, 4 etc.

10. cf. Guil. Frantz: De com. Att. prol. Strassb. 1891.

tum frgm. 109 Elysiorum pratorum flores enumerari nostra quidem sententia est

ὑπ' ἀναδενδράδων ἁπαλὰς ἀσπαλάθους πατοῦντες
ἐν λειμῶνι λωτοφόρῳ, κύπειρόν τε δροσώδη
κἀνθρύσκου μαλακῶν τ' ἴων λείμακα καὶ τριφύλλου.

ἀσπάλαθος videtur ideo dici „mollis“, quia in Orco naturam suam mutavit, nam mutare talia libidinis est; verbum *πατοῦντες* autem iuxta *ἀσπαλάθους* tolerari non potest. coniectura autem locum emendare nimiae videtur audaciae.

Ex Aristophanis fragmentis una fabula huc pertinet, *Ταγηνισταί*; quam Athenaeus, cum eas quibus aurea aetas describitur comoedias enumerat, tam notam esse dicit, ut excerpere eam supervacuum sit. nomine *ταγηνισταί* illi indicantur, qui *ταγήνῳ* utuntur vel in *ταγήνῳ* assant[11]. aliquid frgm. 491 affert

τί οὖν ποιῶμεν; χλανίδ' ἐχρῆν λευκὴν λαβεῖν.
εἶτ' Ἰσθμιακὰ λαβόντες ὥσπερ οἱ χοροὶ
ᾄδωμεν εἰς τὸν δεσπότην ἐγκώμιον.

verbo *δεσπότης* plerumque servi erum adloquuntur. Bergkius Saturnalium festis diebus servos *ἐγκώμιον εἰς τὸν δεσπότην* cecinisse opinatur, Plutarcho et Luciano auctoribus nisus. illi autem morem Romanum tradunt, non Atheniensium, qui in Saturnalibus agendis vix de aurea aetate cogitabant[12]; neque id, quod Grafius[13] proposuit adulatores *ταγηνιστῶν* specie irrideri, nobis probatur, nam ex vestibus albis solum conclusit collato Pollucis loco (IV 113); sed quadrant Pollucis verba [ad novam comoediam, antiquae usus non constat[14][15].

---

11. vi obscena Eupolis hanc vocem usurpat.

12. cf. Mommsen, Feste der Stadt Athen pg. 34.

13. Ernestus Graf: Ad aureae aetatis fabulam symbolae; Leipziger Studien 8.

14. illic multo magis ridicule et iocose exornatos eos fuisse consentaneum est. cf. ea quae Ribbeckius coniecit: *Κόλαξ* (Abh. d. Sächsischen Gesellsch. d. Wissensch. 1884).

In fragmentis autem plurimis de helluando agitur (496, 502, 503, 506). praestantissimum est frgm. 492.

τί πρὸς τὰ Λυδῶν δεῖπνα καὶ τὰ Θετταλῶν
— τὰ Θετταλικὰ μὲν πολὺ καπανικώτερα.

ex altero quaeritur, qualis ei videatur ea, qua hoc loco fruebatur cena, prae Lydorum et Thessalorum epulis, famosissimis illis quidem[16]. respondet horum cenas ciborum copia nimis oneratas esse atque petorritae instar eas nominat. quid illorum (Lydorum) epulis certe haud minus putidis vitio det, Athenaeus omisit.

In frgm. 488 denique aliquis alteri persuadet Orcum multo praestare his quae nos incolimus locis

καὶ μὴν πόθεν Πλούτων γ' ἂν ὠνομάζετο
εἰ μὴ τὰ βέλτιστ' ἔλαχεν· ἓν δέ σοι φράσω,
ὅσῳ τὰ κάτω κρείττω 'στὶν ὧν ὁ Ζεὺς ἔχει.
ὅταν γὰρ ἱστῇς, τοῦ ταλάντου τὸ ῥέπον
κάτω βαδίζει τὸ δὲ κενὸν πρὸς τὸν Δία.

ex qua re fortasse colligi debet fabulam in eis constitisse voluptatibus irridendis, quibus illic fruerentur. (Grafii haec est sententia).

Postremo Amipsias quoque forsitan Orci descriptionem praebuerit; nam frgm. 23 (incert.)

εἰ μὲν θανοῦσιν ἔστι τις τιμὴ κάτω
καταβῶμεν

aliquam *κατάβασιν* praeparari docet.

Fabularum vitae perfectae imaginem primus cum suae aetatis doctrina philosophorum videtur coniunxisse Crates in Feris (*Θηρία*). feras coniuratione habita hominum imperium detrectare atque praesertim id spectare, ut ne

---

15. Denique tagenistis servos cocos significari posse Wilamowitzius me admonuit.

16. cf. Athenaeus IV, 6 (Kock II 81) et 418 Acharn. 85, Herodotus passim.

caederentur et esui essent, ex fragmentis apparet; in altero (14) is, qui earum causam gerit, pisces assare iubet homines, in altero (14) fortasse idem, quibus bonis eos remuneraturus sit, si animalium carnibus abstinuerint in modum fabellarum utopicarum promittit: omnia se moturum esse ita, ut nullo hominum labore opus sit, quin pisces ipsos se tosturos esse:

ἴχθυ βάδιζ'. — ἀλλ' οὐδέπω 'πὶ θάτερ' ὀπτός εἰμι.
— οὔκουν μεταστρέψας σεαυτὸν ἅλι πάσεις ἀλείφων.

quae cum ita futura sint, ne servis quidem uti necesse esse

ἔπειτα δοῦλον οὐδὲ εἷς κεκτήσετ' οὐδὲ δούλην.

alterius quoque interlocutoris verba servata sunt — ex alia quidem scaena — quibus illum licendo superare conatur (15): se quoque instrumentis mobilibus factis homines labore liberaturum lepidissimisque deliciis donaturum esse.

Irrideri hoc loco sententiam Pythagoreorum qua animalibus vesci pii homines vetabantur, iam dudum exploratum est. mitem et beatam vitam eorum videtur poeta praedicavisse, apud quos, ut ait Empedocles (128 D.), non Mars deus crudelis cruentus sed Cypris, placida illa et lenis; qua regnante nulla re egebant (17):

ἔχοντες εὐπαθῆ βίον
παρουσίαν τε χρημάτων.

Argumentum plane dissimile tractant Pherecratis *Ἄγριοι*. de qua fabula clarissimum extat Platonis testimonium (Protagoras 327 c) *εἰ δέοι αὐτὸν κρίνεσθαι πρὸς ἀνθρώπους, οἷς μήτε παιδεία ἐστὶ μήτε δικαστήρια μήτε νόμοι μηδὲ ἀνάγκη μηδεμία, διὰ παντὸς ἀναγκάζουσα ἀρετῆς ἐπιμελεῖσθαι, ἀλλ' εἶεν ἄγριοί τινες, οἷοίπερ οὓς πέρυσιν Φερεκράτης ὁ ποιητὴς ἐδίδαξεν ἐπὶ Ληναίων, ἦ σφόδρα ἐν τοῖς τοιούτοις ἀνθρώποις γενόμενος ὥσπερ οἱ ἐν ἐκείνωι τῶι χορῶι μισάνθρωποι ἀγαπήσαις ἄν, εἰ ἐντύχοις Εὐρυβάτωι καὶ Φρυνώνδαι* (hominibus nequam) *καὶ ἀνολοφύραι' ἂν ποθῶν τὴν τῶν ἐνθάδε ἀνθρώπων πονηρίαν.*

describit Protagoras homines, qui omni humano cultu careant; nulla inter eos iudicia, nullae leges, nulla eruditio, nulla necessitas; feros eos vocat. en habemus sophistarum

vitam naturalem rationalem. quam vitam et ab animalibus et hominibus feris et barbaris vivi contendebant. nam id, quod saeculo p. Chr. n. duodevicesimo Rousseauius, scriptor Franco-Gallicus postulavit, ut „ad naturalem vitam rediremus“, temporibus sophistarum natum, postea a Cynicis effectum est[17].

Comoediae igitur chorum ex talibus incultis hominibus compositum fuisse et Protagoras refert et ex titulo colligitur[18]; in quem chorum incidisse homines vitae humanae pertaesos. verum illorum vitae participes factos summo vitae civilis desiderio flagravisse hominumque pessimorum maluisse mores perpeti quam illorum hominum naturalium.

Si praeter hunc Platonis locum nihil de fabula traditum esset, tantum ex generali comoediarum compositione concludi liceret, chorum quendam hominum ferorum vitae suae

---

17. primus Antisthenes librum scripsit *περὶ ζώιων*, cuius argumentum fuisse Gompertzius (G. D. II 117) suspicatur: „Die Absicht aus dem Tierleben die Vorbilder und maßgebenden Winke für die Gestaltung des Menschenlebens zu gewinnen“. tum Diogenes variorum animalium (vel canum vel murum, Diog. L. VI 22, 40) mores observabat, exemploque eis usus est. deinde apium civitatem humanae saepius opponebant (Musonius ap. Stobaeum flor. III p. 5, 2 M.). Dio Chrysostomus or. VI Diogenem homines cum bestiis componentem fingit, nec non consentaneum est has multo praestare illis. praestantissimum exemplum tradit or. X, 30. *ἔπειτα ἠγανάκτει* (sc. *Οἰδίπους*) *καὶ ἐβόα μεγάλα, ὅτι τῶν αὐτῶν πατήρ ἐστι καὶ ἀδελφός, καὶ τῆς αὐτῆς γυναικὸς ἀνὴρ καὶ υἱός, οἱ δὲ ἀλεκτρυόνες οὐκ ἀγανακτοῦσιν ἐπὶ τούτοις οὐδὲ οἱ κύνες οὐδὲ τῶν ὄνων οὐδείς κ. τ. λ.*

(cf. E. Weber: De Dione Chrysostomo cynicorum sectatore; Leipz. Stud. X pg. 41).

denique Plutarchus iocosum hominis cum sue certamen tradit (Gryllus), in quo Gryllus socius Ulixis, qui a Circa in suem commutatus erat, ne rursus homo fieret, vehementer recusabat, multisque et magnis argumentis evincebat hominis naturam multum cedere suili.

18. Sed ne quis *τοὺς ἐν ἐκείνῳ τῷ χορῷ μισανθρώπους* sic interpretetur, ut choreutas eos fuisse existimet, paulo latius quae de Platonis loco sentiamus explicare liceat.

amoenitatem, iustitiam, mores in parabasi et epirrhematibus praedicavisse, in certamine de eadem re actum esse, tum in scaenis mimicis ad homines ipsos vim et effectum sententiarum apertam esse, h. e. hanc vitam miserrimam omnium demonstratam esse.

At feliciter factum est, ut compluria fragmenta servata sint, quae hanc sententiam confirment.

(13) *ἐνθρύσκοισι καὶ βρακάνοις*
καὶ στραβήλοις ζῆν· ὁπόταν δ'
ἤδη πεινῶσιν σφόδρ' ἄγαν
ὡσπερεὶ τοὺς πουλύποδας
τῶν ποδῶν] νύκτωρ περιτρώ —
γειν αὑτῶν τοὺς δακτύλους[19].

tum ex certamine servati sunt versus

(10) *οὐ γὰρ ἦν τότ' οὔτε Μάνης οὔτε Σηκὶς οὐδενὶ*

---

primum *οἱ ἐν ἐκείνωι τῶι χορῶι* ei sunt, qui extrinsecus in chorum invaserunt, eodem sensu, quo paulo ante dixit *ἐν τοῖς τοιούτοις γενόμενος;* nam si ex his hominum osoribus chorus constitisset, Platoni scribendum fuisset: *οἱ ἐκείνου τοῦ χοροῦ μισάνθρωποι,*

tum ea, quam refutamus sententia: „si ad tales homines accederes, quales illi osores sunt“, Attico sermone nisi in haec verba nuncupari non posset: *ἐν τοῖς τοιούτοις γενόμενος οἷοι κ. τ. λ.*, cum scriptoris verba suppleri non possint nisi *ἐν τοῖς τοιούτοις γενόμενος οἵοις κ. τ. λ. οἱ ἐν ἐκείνωι τῶι χορῶι [ὄντες] μισάνθρωποι [ἐγένοντο].*

19. 5 *τῶν ποδῶν* ipsi supplevimus, quod sensui aptissimum est: his verbis receptis nil mutatur in illis, quae scripta habet codex; simul, quod est alterum eorum, quibus in reparando orationis defectu prospiciendum esse constat, causa erroris aperta est: ex duabus vocibus inter se similibus et cognatis *πουλύποδας* et *ποδῶν* alteram librarii oscitantia praetermisit. quamquam exempla huius usus, quo pronomen reflexivum possessivum a nomine *(ποδῶν)* seiungitur, afferre non possumus.

ultimum versum nequaquam corruptum putamus, quamquam alium locum, quo stropha choriambis composita in spondeo = trochaeos desinit, non novimus.

δοῦλος, ἀλλ' αὐτὰς ἔδει μοχθεῖν ἅπαντ' ἐν οἰκίᾳ.
εἶτα πρὸς τούτοισιν ἤλουν ὄρθριαι τὰ σιτία
ὥστε τὴν κώμην ὑπηχεῖν θιγγανουσῶν τὰς μύλας.

quod fragmentum sic vertimus:

nemini tum servus erat, sed mulieres oportebat res domesticas procurare. ita porro frumenta mane molebant etc. contra Zielinskius[20] *αὐτὰς* v. 2 mulieres humanas esse negat his de causis: Erstens müsste, wenn *αὐτάς* die Hausfrauen bedeutete, v. 1 *οὐδεμίαι* stehen, nicht *οὐδενί*. Zweitens kann das *εἶτα πρὸς τούτοισι* doch nur von der zeitlichen Folge verstanden werden; wenn aber das Mahlen des Getreides bei oder vor dem Tage *(ὄρθριαι)* auf das Besorgen der häuslichen Arbeit folgte, so muss diese in die Nacht fallen, und das schliesst den Gedanken an die Hausfrau aus. sed primum v. 1 *οὐδεμίαι* non solum non necessarium, verum etiam falsum esset; nam uxor servos non possidet, sed vir; quin omnino nulla propria possessione Athenis mulieres utebantur; tum *πρὸς τούτοισι* praeter vim temporalem habet etiam coniunctivam; cf. Philemonis frgm. 90.

(v. 8) ἐν ἑαυτῷ τοῦτ' ἐὰν σκοπῇ, κακὰ
πρὸς τοῖς κακοῖσιν οὗτος ἕτερα συλλέγει.

εἶτα autem ut saepius idem valet atque Latinum ita vel itaque. ergo nil impedit, quominus *αὐτάς* ad mulieres referamus, praesertim cum de illarum operis agatur.

Deinde certamini attribuimus frgm. inc. 186 (cf. Photius, R. pg. 69[17]).

καὶ τὰς βαλάνους καὶ τὰς ἀκύλους καὶ τὰς ἀχράδας περιόντας

quo vitae naturalis laudator, quanta ciborum copia sine ullo labore ambulando inveniri possit, exponit.

De eis qui hominum taedio commoti ex urbe emigraverunt nil constat[21]. hoc certum est eos spe deiectos esse, quod Plato ipse suis verbis testatur. ad hanc partem pertinet

---

20. Märchenkomödie pg. 60 adn. 22.

21. consentaneum est poetam homines feros nullo certo loco posuisse, immo osores illi hominibus relictis fortuito offendunt feros.

frgm. 9 in ferorum societatem recepti maximo cum dolore amicos novos ne ora quidem illuvie abluere comperiunt:

οὐδ' ἀποπροσωπίζεσθε κνάμοις: — πωμάλα

quibus verbis nescio quo modo Empedoclis doctrinam poeta arrodit (141 D), quamquam cum omnium fere quae hic tanguntur rerum scientia plane destituti simus, ne in dumeta aberret disquisitio, satius esse putamus ab his rebus diiudicandis manus abstinere.

Neque pira lavare sed sordida comedere eos vident

(8) *πρὶν ἀνακυκῆσαι τὰς ἀπίους ἁρπάζετε.*

ad hunc versum explicandum Meinekius attulit Athenaei verba (XIV, 650)| *ὅτι δὲ τὰς ἀπίους ἐν ὕδατι εἰσέφερον εἰς τὰ συμπόσια Ἄλεξις ἐν Βρεττίαι παρίστησι διὰ τούτων*

(II, 309 K) *εἶδές ποτε*

πίνουσιν ἀνθρώποις ἀπίους παρακειμένας

ἐν ὕδατι; — πολλοῖς πολλάκις δήπου. τί οὖν;

— οὔκουν ἕκαστος ἐκλεγόμενος λαμβάνει

τῶν ἐπινεουσῶν τὴν πεπαιτάτην ἀεί;

— δηλονότι.

quae verba Meinekius in hunc sensum interpretatur: nimirum versabant aquam, ut matura pira, quae ad imum desidunt, in altum adscenderent. hinc Pherecrates ferorum rusticitatem notans dicit (sequitur frgm. 8). qua in re veremur, ne vir summi acuminis nimis multa doctrina adhibenda simplicem sensum parum intellexerit. nos enim pira ea de causa in aquam immersa et versata esse opinamur, quod cultellis cenaticis deficientibus, ut fructus nostro more cortice denudarentur, fieri non potuit; ergo ita ut hodie uvae sic tum pira in vas aquae plenum coniciebantur, eique quibus sumere quaedam libebat, ea permiscebant *(ἀνεκύκησαν)*, quo nil potest esse naturae aptius. Alexis igitur eos reprehendit, qui parum modeste ac decore optima quaeque *(τὰ πεπαίτατα)* sibi eligant, cum noster Feros vituperet, quod avide ea corripiunt *(ἁρπάζουσι)*, priusquam agitarent in aqua[22].

22. Non obstat huic explicandi rationi frgm. 32. Pherecratis.

Postremo huic parti inserendum est inc. frgm. (6). *τὴν γαστέρ' ἤιων κἀχύρων σεσαγμένος.* suspicari licet unum ex eis, qui emigraverint, de cena foedissima queri[23].

Ergo poeta comoediam composuit, ut sophistarum sententias, quibus cultum despiciebant, vitam naturalem quaerebant, in risum deflecteret, quod et ex Platonis verbis et fragmentis apparet, neque a comoediae antiquae indole abhorret. nam quod Zielinskius, qui hanc quoque comoediam fabellariam esse censet (Draken-Märchen) neque ullam praesentis status mentionem patitur, sic dicit (p. 60): „Diese moralisierende Tendenz ist der kecken Märchenkomödie ebenso fremd wie dem echten Märchen", non satis recte perspexit comoediae antiquae naturam; abest sane vis moralis et conscios sibi fuisse poetas negamus atque infitiamur se rationi alias fortasse maiores animi vires opponere, sed sentiendo eos aliquid tale divinasse concedendum est, quippe qui maximo cum gaudio hominum naturam perscrutati sint, vitia aperuerint, doctorum vanas et pravas opiniones non tam argumentis refutaverint, quam cum rebus et hominibus ipsis comparaverint, irriserint.

Eandem fortasse vitam naturalem Pherecrates in ea comoedia proposuit, quae inscribitur *Ἀγαθοί* sive *Ἀργυρίου ἀφανισμός,* quae fabula Strattidi quoque adscribebatur. ut in Feris hominibus sic hic chorum ex eis constitisse suspicamur, qui cultum fugissent. imprimis auri sacram famem abiecissent. quod solum ex titulo sumimus, cum fragmenta nil valeant.

τί μ' εἴργασαι; ἀμάχαιρος ἐπὶ βόεια ῥοσήσω κρέα, ἀνὴρ γέρων, ἀνόδοντος; nam quod senex cultellum poscit, eius rei ipse causam adiungit: quia dentibus caret; de secespita igitur, vel de cultro coquinari (Varro ap. Non. s. v.) cogitandum est; non certe in cena cultris uti solebant (cf. S. Reinach in: Dictionnaire des antiquités Grecques et Romaines vol. 1, 2 s. v. culter).

23. Ex eis, qui post fuerunt, imprimis Diogenes cynicus cibis coctis abstinuisse dicitur (Dio Chrys. or. VI fin).

nam in frgm. 2 iudicando, quod metro choriambico scriptum ex oda aliqua servatum est:

λουσάμενοι δὲ πρὸ λαμπρᾶς
ἡμέρας ἐν τοῖς στεφανώμασιν, οἱ δ' ἐν τῶι μύρωι
λαλεῖτε περὶ σισυμβρίων κοσμοσανδάλων τε.

eis adsentimur, qui chorum spectatores delicatos alloqui existimant[24]. verum forsitan huc spectet Strattidis frgm. inc. 61

οἶνος κοχύζει τοῖς ὁδοιπόροις πιεῖν
μέλας Σκιάθιος ἴσον ἴσωι κεκραμένος.

Ultimam Pherecratis fabulam tractabimus Tyrannida. cuius frgm. 143.

εἶτ' ἐκεραμεύσαντο τοῖς μὲν ἀνδράσιν ποτήρια
πλατέα, τοίχους οὐκ ἔχοντ' ἀλλ' αὐτὸ τοὔδαφος μόνον
κοὐχὶ χωροῦντ' οὐδὲ κόγχην, ἐμφερῆ γευστηρίοις
σφίσι δέ γ' αὐταῖσιν βαθείας κύλικας ὥσπερ ὁλκάδας
κ. τ. λ.

Kockius collato titulo collegit *γυναικοκρατίαν* quandam intellegendam esse[25]. quod nobis non probatur, nam in hoc fragmento de mulierum vinositate et mendaciis agitur, queri videntur viri, quod mulieres fraudibus regno quasi domus re vera potitae sint. ideo titulus *τυραννίς* non de constituenda re publica muliebri, sed de praesenti earum dominatione intellegendus est; tum ne 187 quidem ad hanc comoediam referendum est:

ἡγούμεθα τῆς πόλεως εἶναι ταύτας σωτῆρας.

Contra in *Στρατιώτισι* Theopompi si non tota mulierum civitas, at certe exercitus muliebris proponitur. ex certamine

24. Ceterum Zielinskius personam aliquam fabularum ut Immermanni Schlagododro in scaenam productam esse conicit ex hoc fragmento (1):

ἐγὼ κατεσθίω μόλις τῆς ἡμέρας
πένθ' ἡμιμέδιμν' ἐὰν βιάζωμαι — μόλις;
ὡς ὀλιγόσιτος ἦσθ' ἄρ', ὃς κατεσθίεις
τῆς ἡμέρας μακρᾶς τριήρους σιτία.

sed hi versus ab Hercule aliquo vel Triballo dicti esse possunt.

25. Ita fere ut saec. XVII scriptor aliquis, (Mundus alter et idem) Viraginiam sive gynaicocratiam descripsit.

ei versus servati sunt, quibus exponitur, quantum lucrum cives facturi sint, si uterque, et vir et uxor, militetur mercedemque accipiat

(55) *καίτοι τίς οἶκος οὐκ ἂν εὖ πράττοι μετρωβολίζων*
εἰ νῦν γε διώβολον φέρων ἀνὴρ τρέφει γυναῖκα

ducem quoque eligunt

(56) *ἡ Θρασυμάχου δ' ὑμῶν γυνὴ καλῶς ἐπιστατήσει*

mulieres autem haud ita magnum gaudium ex novis rebus cepisse frgm. 54, ex posteriore comoediae parte servatum, docet

ἐγὼ γὰρ ἂν κώθωνος ἐκ στρεψαυχένος
πίοιμι τὸν τράχηλον ἀνακεκλασμένη:

„negat enim cum indignatione mulier se mores victumque militum secuturam“ (Jacobsius); eos autem poeta videtur illudere, qui novarum rerum cupidi feminarum quoque condicionem mutare studebant. nil fere de hac re traditum est; sed eam illis temporibus Atheniensium animos commovisse, testis est Euripides[26], qui praeter ceteros locos frgm. 522 de mulieribus militantibus loquitur, id quod optime adaptatur ad hanc comoediam:

εἰ κερκίδων μὲν ἀνδράσιν μέλοι πόνος
γυναιξὶ δ' ὅπλων ἐμπέσοιεν ἡδοναί,
ἐκ τῆς ἐπιστήμης γὰρ ἐκπεπτωκότες
κεῖνοί τ' ἂν οὐδὲν εἶεν οὐδ' ἡμεῖς ἔτι.

Notissima est Eupolidis fabula *χρυσοῦν γένος*[27]. quo titulo quamquam poeta auream quandam aetatem depicturum se esse profitetur, tamen argumentum aliud fuisse Wilamowitzius recte ex eo conclusit, quod ab Athenaeo non laudatur (VI 267 c sqq.). immo praesentem rei publicae condicionem

---

26. conferre iubemus: Masqueray (Euripide et ses idées pg. 296—326. Nestle (Euripides) pg. 248 sqq.

27. Cf. Wilamowitz obs. crit. pg. 54.
Lübke obs. crit. pg. 34.
Idem Menander und seine Kunst (Lessing-Gymnas. 1892) pg. 9.
Kaibel apud Pauly — Wiss. s. v. Eupolis.

poeta illudit. sane perfectam rem publicam poeta depingit, at perfecte perversam. nam manco cuique et caeco et turpi rem publicam capessere licere chorus in parabasi praedicat (292) *πῶς οὐκ ἄν τις ὁμιλῶν χαίροι τοιᾷδε πόλει*
ἵν' ἔξεστιν πάνυ λεπτῷ κακῷ τε τὴν ἰδέαν.

Zielinskius[28] hos versus ad voluptates corporis spectare volebat[29], cui fidem habere vetamur frgm. 291

ἔδει πρῶτον μὲν ὑπάρχειν πάντων ἰσηγορίαν

hic enim de rebus publicis, de aequa libere dicendi potestate fraudata agitur. ipsum autem aureum genus per chorum ante oculos producebatur: ex perditis et extortis hominibus constabat; servati sunt complures parodi versus, quibus singuli choreutae describuntur (276)

δωδέκατος ὁ τυφλός. τρίτος ὁ τὴν κάλην ἔχων
ὁ στιγματίας τέταρτός ἐστιν ἐπὶ δέκα.
πέμπτος δ' ὁ πυρρός. ἕκτος ὁ διεστραμμένος.
χοὖτοι μὲν εἴσ' ἑκκαίδεκ' εἰς Ἀρχέστρατον
ἐς τὸν δὲ φαλακρὸν ἑπτακαίδεκ'. — ἴσχε δή.
— ὄγδοος ὁ τὸ τριβώνιον ἔχων.

alter choreutas enumerat, alter paene nauseam captat et sat inquit (*ἴσχε δή*), sed prior tamen pergit. ergo nil est quod hanc fabulam, id quod Zielinskius fecit, eis adscribamus, quibus vita aliqua beata laudatur.

---

28. Sic annotat ad hos versus (Märchenkomödie pg. 56). Dafür ist der Sinn des letzten Verses ziemlich klar. Kocks Deutung (ubi iam exiguo et minus pulcro homini liceat ad rem publicam administrandam accedere) ist sicher falsch; wo in der Welt wird von den Staatsmännern körperliche Schönheit verlangt! falsus ille; non de pulchritudine sed incolumitate corporis agitur, hominibus mancis autem non licuisse muneribus publicis fungi compluribus locis traditum est.

Denique ex toto verborum tenore elucet poetam per haec corporis vitia coaggerata potius perditos homines significare, eruditionis expertes, litterarum imperitos, Cleones, Hyperbolos; fortasse etiam eos viros, qui rem publicam curabant, ipsos personis quidem detortis amictos in scaenam induxit, quin unum ex eis nomine appellat, Archestratum.

29. Secutus eum est Pöhlmannus ll. II pg. 18.

In fine huius dissertationis de comoedia agemus, quam cui generi attribuamus plane nescimus. statum enim admodum mirabilem Strattis in Psychastis describit.

Voce ψυχασταί, quae hoc uno loco tradita est, significantur ei, qui semper ψυχάζουσι[30]. ergo statum aliquem permanentem indicant, cum altera, quam in titulis invenimus forma participialis (Χειμαζόμενοι Ἐκκλησιάζουσαι). ei dicantur, qui semel, data occasione, ea, quae verbo significatur actio, fungantur.

Ex certamine fragmentum unum extat, tetrametris trochaicis scriptum

(53) οἶνον γὰρ ἂν πιεῖν
οὐδ' ἂν εἷς δέξαιτο θερμόν, ἀλλὰ πολὺ τοὐναντίον
ψυχόμενον ἐν τῶι φρέατι <καὶ> χιόνι μεμειγμένον.

is qui certaminum ratiocinationem novit, facile intelleget hoc loco de frigore calori anteponendo disputari. nam comicorum est ea, quae demonstrare volunt, exemplis fulcire, quae ex vitae cotidianae usu deprompta sint.

Tum frgm. 58, quod ex chori cantico sumptum est, talem imaginem praebet.

αἱ δ' ἀλεκτρυόνες ἅπασαι
καὶ τὰ χοιρίδια τέθνηκε
καὶ τὰ μίκρ' ὀρνίθια.

parva animalia (de magnis non constat) mortem obisse videmus, quod collatis titulo et certamine per frigus effectum esse facile suspiceris; totum mundum rigere cognoscimus; argumentum igitur hoc videtur fuisse: primum aliquos de frigore certasse, tum super totum orbem frigus effusum esse, regnum, ut ita dicam, frigoris pro ceteris regnis utopicis constitutum esse.

Plura de hac comoedia ex fragmentis elici non possunt, nam utrum Lobeckius, qui (Aglaoph. 1038) „nescio inquit an

---

30. ψυχάζειν est kalt machen, cf. Photius (R. 123) ἀναψύχουσα. ξηραίνουσα et Suidas ψυχάζειν· ἀναψύχειν.

homines quosdam voluptuosos perstrinxerit, in locis amoenis otiari et luxuriari solitos", recte iudicaverit necne, quamvis splendida coniectura videatur, in dubio relinquendum est; nos equidem nullum argumentum nec ex fragmentis nec aliunde afferre possumus.

Omnia fragmenta, quibus utopica aliqua vita adumbratur, postquam collegimus, ad poetarum ingenia internoscenda haud parvi momenti est comparare, quo modo singuli commune argumentum tractaverint.

Edendi et bibendi voluptates saepissime describi prae antiquae comoediae indole consentaneum est; res mirabilissimas poetae certatim fingunt: Cratinus Iovem uvis passis pluentem facit, id quod imitati sunt Pherecrates in Persis, Nicophon in Sirenibus; in Cratini Divitiis tanta omnium ciborum copia est, ut vel pueri eis ludant; hoc apud Teleclidam et Aristophanem (Plut. 815), rursus invenis. alibi cibi in arboribus crescunt (Ph. Pers.), vel ipsi ut comedantur inter se pugnant (Tel. Amphict., Ph. Metall., Nicophon, Metagenes); usitatissima autem erat fluminum, quae omnes delicias adveherent, imago; quam non minus quinque poetae proponunt. Teleclides primus iuris fluvium enumerat, quoque munere fungantur explicat: mensa ipsa adsistit, se ipsa parat, placenta se depsit, poculum ministrat, se lavat etc. quin in balneis quoque ultro spongia quae imperantur faciunt. sed non modo commodiorem magisque expeditam illam vitam fuisse sed etiam pulchriorem Pherecrates testatur (Pers. 128) et is quicumque Metallicos conscripsit (108 in fine). auri vero omniumque gazarum semper maximam copiam fuisse paene non dignum est, quod commemoremus (Pherecr. Pers., Aristophanes Plut.).

Deinde morbis et calamitatibus illi beati liberi erant (Cratinus, Pherecrates, Teleclides). miramur autem praeter Metallicos (108 sq.) nullo loco mentionem fieri voluptatum amoris; quod antiquae comoediae maxime conveniret.

Multa his argumentis cum fabellis communia sunt; qua

ex re tamen veremur, ut liceat omnes tales comoedias pro fabellis in dramatis formam redactis ducere. extent terrae beatae in illis, sit poetarum puerorum imaginatio eis mota et gravidata, tamen quam maxime discrepant fabellae et hae comoediae.

Cetera argumenta, ut Pherecratis vita rationalis, non tam saepe quam illa videntur tractata esse: nimis longe fortasse ab antiquae comoediae indole absunt.

In media et nova autem comoediis nullum huiusmodi occurrit argumentum, ne mentio quidem fit[31]. videmus igitur poetam sane ingeniosum, Cratinum, aliquid comoediarum genus condere, ceteros imitari, mutare, augere, detorquere, postremo satietate captos neglegere et omnino relinquere. atque Aristophanis cum aestimando perpendimus fabulas, semper memores esse debemus argumenta pleraque tum omnium poetarum communia: rationem explicandi eius propriam fuisse.

De tempore nobis veri non dissimile videtur Cratini Plutos, quos Athenaeus primo loco affert, Ulixium aetate compositos esse, cum libertas comica lege coercita esset. tum frgm. 163 Eupolidis et 3 Pherecratis tam inter se similia sunt, ut alterum poetam alterius versus ante oculos vel in memoria habuisse pro certo appareat. sunt autem haec:

Eupolidis ex Adulatoribus

ὃς Χαρίτων μὲν ὄζει
καλλαβίδας δὲ βαίνει
σησαμίδας δὲ χέζει
μῆλα δὲ χρέμπτεται.

Pherecratis ex Persis

ὦ μαλάχας μὲν ἐξερῶν, ἀναπνέων δ᾽ ὑάκινθον
καὶ μελιλώτινον λαλῶν καὶ ῥόδα προσσεσηρώς.

31. Solus Diphilus ad talia argumenta alludit frgm. 14 (K. II, 844).

ὦ φιλῶν μὲν ἀμάρακον, προσκινῶν δὲ σέλινα,
γελῶν δ' ἱπποσέλινα καὶ κοσμοσάνδαλα βαίνων
ἔγχει κἀπιβόα τρίτον παιῶν', ὡς νόμος ἐστίν.

tres sententias Eupolideas rursus apud Pherecratem reperis: ingressus laudatur (*καλλαβίδας δὲ βαίνει — κοσμοσάνδαλα βαίνων*), odor (*Χαρίτων ὄζει — ἀναπνέων ὑάκινθον*); affinia denique sunt *μῆλα χρέμπτεται* et *ῥόδα προσσεσηρώς*; differentiae autem hoc inter fragmenta interest, quod Pherecrates multo accuratius et verbosius habitum depingit Eupolide; a vero igitur non longe aberremus, si Pherecratem Eupolidis verba imitari atque id, quod supra ad comoediarum aliarum exemplar demonstravimus: poetas minores corrigere et exaugere sententias priorum, hoc loco factum esse suspicemur. ergo Pherecratis Persas non multo post Eupolidis Adulatores, id est post annum 421, doctas esse colligitur.

Ex qua re, cum Athenaeus VI 268 e ordinem fabularum afferendarum se observaturum esse profiteatur, eae quas ante Persas nominavit fabulas (Cratini Plutos, Cratetis Feras, Teleclidae Amphictyones, Pherecratis Metallicos), ante quem terminum doctae sint, concluditur, in eis autem, quae post enumerat, contraria ratio patet (Aristophanis Tagenistae, Nicophontis Sirenes, Metagenis Thuriopersae).

Haec sunt, quae ex fragmentis exiguis elicuisse nobis videmur; pauca sunt; qua re profecto si quis nobis ut omnino ab eis manus abstineamus persuadeat, Persii ille quidem auctoritate nisus:

de nihilo nihilum in nihilum nil posse reverti:

nos potius nil tam difficile esse confidimus, quin quaerendo investigari possiet, unica sane ratione adhibita: fragmentis iterum atque iterum perlegendis, perpendendis, percutiendis; quod nos non sine ullo fructu fecisse speramus.

Vita.

Natus sum Waldemarus Karolus Adolfus Hoffmann undevicesimo die mensis Maii anni 1886 Rixdorfii, in oppido Brandenburgensi prope Berolinum sito, patre Paulo, matre Luisa e gente Löwing; fidem profiteor evangelicam.

Primis pueritiae disciplinis in ludo privato imbutus, qui tum Lamprechtio rectore in vico patrio florebat, anno 1895 in gymnasium Berolinense deductus sum, cui nomen est Luisenstädtisches Gymnasium. hic autumno 1904 maturitatis quod vocant examine absoluto Berolini studiis me dedi imprimis philologis. per aestatem anni 1906 in Ruperto-Carola Heidelbergensi scholas audivi; tum Berolinum rursus me contuli.

Docuerunt me viri doctissimi Diels, Helm, Hintze, Imelmann, Lasson, Rud. Lehmann, Lenz, Ed. Meyer, Muench, Ed. Norden, Paulsen †, Schaefer, M. C. P. Schmidt, W. Schulze, Stumpf, Vahlen, Wentzel, de Wilamowitz-Moellendorff Berolinenses. Dieterich †, de Domaszewski, de Duhn, Windelband Heidelbergenses.

Proseminario philologo interfui Berolinensi per quattuor semestria bina ordini superiori, seminarii sodalis fui ordinarius per duo semestria; ad exercitationes me admiserunt archaeologicas de Duhn, historicas de Domaszewski.

Quibus viris doctis cum omnibus gratias ago candidissimas, tum Wilamowitzio, cuius auspiciis hoc opusculum ortum est, quantum debeam numquam me obliturum esse facile polliceor.

Denique societatum philologicarum Berolinensis et Heidelbergensis sodalem me fuisse atque esse gaudeo.

Hoffmann - Ad antiquae Atticae comoediae historiam